





15. 18. 6

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**PRINCIPIORVM**  
**RATIONIS IN THE-**  
**OLOGIA VALORE**

QVAM

D. O. M. A.

PRÆSIDE

*MAXIME REVERENDO ATQVE EXCEL-*  
*LENTISSIMO*

DOMINO

JONA CONRADO SCHRAMMIO

SS. TH. D. EJSDEMQUE AC PHILOSOPHIÆ  
PROFESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO  
PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO  
OMNI PIETATIS ATQVE OBSERVANTIAE STUDIO  
OFFICIOSE PROSEQUENDO

D. XX JANVAR. ANNI MDCCXII.

DEFENDET

BRANDANUS MANSFELD

HELMSTADIENSIS

AVTOR ET RESPONDENS

IN JVLEO MAJORI.

---

HELMSTADIA,  
EX OFFICINA HAMMIANA TYPOGRAPHICA.



TRIBUS  
IN ACADEMIA JULIA  
PROFESSORIBUS  
VIRIS DOCTRINA PRUDENTIA VIRTUTE  
CELEBERRIMIS  
SUMME REVERENDO ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO DOMINO  
DN. JOHANNI ANDREÆ  
SCHMIDIO  
COENOBII MARIAE VALLENSIS ABBATI  
SS. THEOL. D. EJUSDEM QVE ANTIQQ. ET HIST.  
SACR. PROF. PUBL. ORD. ORDINIS QVE SUI  
SENIORI GRAVISSIMO  
PATRONO AC PRÆCEPTORI SUO FILIALI CULTU  
OBSEQUENDO  
NEC NON  
VIRO MAXIME REVERENDO AMPLIS-  
SIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DN. JOH. CHRISTOPHORO  
RITMEIERO  
SS. THEOL. D. EJUSDEM QVE ET GRÆC. LINGV.  
PROF. PUBL. ORD.  
PATRONO ATQVE PRÆCEPTORI SUO  
ÆTATEM DEVENERANDO

):

ITEM

ITEM  
VIRO  
*EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO*  
*ATQUE EXPERIENTISSIMO*  
**DN. BRANDANO**  
**MEIBOMIO**  
FACULTATIS MEDICÆ DOCT. ET PROF. PUBL.  
ORD. CELEBERRIMO  
*PATRONO AC COMPATRI SUO OMNI PIETATE*  
*ATQUE CULTU SUSPICENDO*  
HASCE  
PRIMITIAS MEAS ACADEMICAS  
STRENÆ LOCO  
UNA  
CUM OMNIGENÆ FELICITATIS VOTO  
CALIDISSIMO  
D. D. D.

BRANDANUS MANSFELD  
HELMST.



*NOBILISSIMO ATQUE PEREXIMIO  
DOMINO RESPONDENTI  
AUDITORI SUO SEDULO  
S. P. D.  
PRÆSES.*

**Q**uantâ semper cum religione divina tractaverint in Ecclesiâ mysteria, testantur verba ex S. Jacobi Liturgiâ sub auspicio S. Cœnæ cuique olim proposita: Sileat omnis humana & mortalis caro, stetque cum metu & tremore, ac nihil terrestre apud seipsum cogitet. Neque dubitat adeò in Hom. XXII. in Epist. ad Hebr. afferere Chrysostomus, postquam inter  $\pi\mu\sigma\tau\omega\mu\pi\mu\tau\epsilon\varsigma$  &  $\lambda\sigma\gamma\mu\sigma\mu\pi\mu\tau\epsilon\varsigma$ , fidem ac cogitationes, differentiam simul ac ferale certamen indicaverat, non aliâ serè ex causâ Philosophos in tantos errores fuisse prolapsos, quām

ex hac ipsa, quod nihil tribuerint fidei, sed omnia  
suis ratiocinationibus indulserint. Quā de re pluribus  
ē Chrysostomo differentem videre licet Conr. Rittershusium  
in *Lection. Sacr. Libr. V. cap. III.* Fuisse verò hanc quo-  
que causam, cur de illustri hoc argumento, nempe quo usque  
in *Theologiā Revelatā* perveniat ratio humana, in *Lectioni-  
bus meis Publicis Philosophicis* superiori trimestri differe-  
rem, ipse sub initium hujus operae, Nobilissime Mansfeld,  
non audivisti solū; sed & eadem Te statim, qui consilium  
caperes, peculiari id *Dissertatione tuendi*, permovit. Con-  
scripsisti hanc ex discurſu meo, mibique obtulisti, & fue-  
runt tantum nonnulla, quibus secundam manum adderem;  
idque est, cur manifestum nunc Tibi perhibeam testimonium,  
& de instituto tām laudabili gratuler. Faxit Deus, ut  
studiis tuis, quibus certè hand leviter, sed magno semper  
cum ardore incumbis, beneficos reperias Patronos. Ita  
enim, prout consiliis meis dudum atque fermè à pueritiā lo-  
cum dedisti, atque ipse ego, quod ingenium tuum, qui pro-  
fectus, quānam propensio animi sit, optimè scio, sic etiam,  
si pergas alacriter, & subsidiis adhuc paucis adjuveris, quod  
Ecclesiā aliquandō utilissimam operam prestiturus sis, au-  
guror simul ac certò confido. Vale & res porro feli-  
citer age. Scribebam in Acad. Juliā die X.  
Januar. M D C C X I I .

Fortu-



Fortunante Deo.

§. I.

**C**um de Principiorum Rationis in Theologia valore agitur; necessitas potissimum effigiat, delibare prius voces ipsas, qualemque conceptum de iis sibi quis formare poterit. Quamvis enim hoc officium Philologi sit, qui sollicitus de hac re esse solet, & vocum origines pariter ac veras significaciones ex antiquitate deducit: tamen cum à plerisque in hoc præcipuè negotio talia confundantur, atque hinc lis item trahat, illa quidem, quæ jam tum satis alibi & ex professo sunt pertractata, hic tanquam in prolegomenis repetere licet; ut sic positio fundamento, feliciori progressu alia super hoc extruamus.

§. II.

Quod ergo ad vocem *Principii* attinet, quæ voce græcā *δέρνη* exprimitur, eā, quod in unaquaque re prius est, intelligimus, dummodò cum eo, quo prius est, connexionem habeat. Cumque in intellectu humano non minus quam in rebus ipsis talis ordo sit atque connexio, principia intellectus hīc maximē notamus,

mus, quæ vulgò principia cognoscendi audiunt, sive illa simul causa sint, quod res existant; sive non sint, prout S. Scriptura rerum Theologicarum. In Logicis vel complexa vel incomplexa sunt. Illa sunt termini aut voces simplices, hæc propositiones ex illis constantes. Nobis de utrisque, maximè autem de posterioribus sermo est. Nec verò principia solum vocabimus, quæ omnium prima ac generalissima sunt, de quibus Cicero in libr. I. Tusc. Quæst. dicit: *Principii origo nulla, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex nullâ re aliâ; sed etiam ex primis his orta, dummodo causæ sint conclusionum, easdemque in intellectu nostro præcedant, atque connectant inferendas.* Sufficit enim principia esse in certo genere, prout Mathematici lineæ principia dicunt esse puncta, superficiei lineas, profunditatis superficies.

## §. III.

His præmissis dicendum nunc est, quomodo sumatur vox *Rationis*. Sanè eam non dicimus ipsam animi nostri facultatem, cùm sine hâc nulla concipi queat propositio; sed potius effectum, ipsasque adeò artes ac disciplinas. Sic verò non intelligitur ratio illa falsa & corrupta, quâ quis perperam utitur, sed potius vera, cuius beneficio ad veritatem percipiendo atque demonstrandam pervenire fas est. Neque etiam per rationem indicamus, quæ revelationem profundamento habet, quippe quæ non tam ratio dici potest simpliciter, quam Spiritu S. elevata & illuminata. Sed solam & sanam volumus, ut evitemus cùm excessum, tûm defectum, quo utroque admissa vox rationis

rationis haut satis distingueretur, & nativam indolem exueret. Pariter ut si quis visu constare dixerit, quod coeli color coeruleus sit, aut ex sensibus demonstrari posse attributa Dei, aut substantiarum reliquarum spiritualium. Ubi hinc nimirum, illinc justo minus sensui tribueret. Deinde etiam cum ratione commiscendam non esse dicimus Philosophiam; sunt enim praeter hanc aliæ disciplinæ, artes & linguae variae, quæ ad rationem possunt, tanquam ejusdem soboles, referri. Nec impedit linguas memorie inesse, artes ingenio. Rationem enim sumimus eâ latitudine, quâ ingenium simul ac memoriam complectitur. Sane insunt quoque rationi notiones primæ, seu verba, eamque perficiunt. De verbis verò & formulis loquendi experientia observatae sunt regulæ Criticæ & Hermeneuticæ, rationem à periculo errandi immunem præstantes. Quæ propterea principia rationis etiam appellari meritentur. Denique etiam ratio vel in theoriâ vel contemplatione consistit, unde axiomata vel principia Theoretica; vel ad actionem tendit, unde principia vel propositiones Practicæ emergunt. Utroque modo admittimus hoc loco rationem.

#### §. IV.

Quod si porrò, quid per *Theologiam* intelligamus, describendum sit, eam quidem non dicimus nunc Metaphysicam cum Aristotele, vel hujus partem speciam de Deo, & incorporeis substantiis, quemadmodum recentiores quidam Scholasticos sequentes hanc methodum amplectuntur. Neque enim dubium est, è solâ ratione proximè esse istud *Theologiae* genus,

A 3

eius-

eiusdemque adēd fōstum. Multō minūs intelligēndam hīc putamus Theologiam Gentilium , sive illa Poētarum sit, fabulisque rationem aut figmentis impendat, sive sit Politicorum aut Sacerdotum, & rationem fraudibus exerceat. Sed potius Theologiam indicamus à Deo verē revelatam , & sacris literis comprehensam. Cūm verō hāc facti res partim, res partim juris contineat , utrasque includimus Theologiæ vocabulo. Res juris verō ita comparatæ, ut vel causas simul in ipſā ratione ostendant, vel rationem superent, & solū ab eādem apprehendantur, quæ communiter vocantur mysteria. Sive ergō hoc modo, si ve priori Theologiam sumas, utroque locum habere rationem, suo deinceps ordine demonstrabimus.

## §. V.

*Valorem* denique atque usum pro iisdem sumimus. Quanquam si accuratius considerentur, valor est usus fundamentum, neque obtinet usus, sed potius abusus quidam intempestivus, ubi deest valor. Monetæ enim usus nullus est, cum valor est nullus. Usus ergō alias est Theologi, alias in Theologia; Theologus interdum docet Philosophiam ac Philologiam, nec tamen utriusque partibus aut doctrinis omnibus utitur in Theologiâ, nisi valorem suum ibidem habeant. Neque de eo judicare potest, nisi qui Theologus sit ipse, quippe qui antea Philosophiæ ac Philologiæ principiis debet esse instructus; in Theologiâ autem, quām profitetur ratione muneris, esse versatissimus. Philosophus ad *κερδόνεον* suum non adēd indiget Theologiâ, ut spartam ritè exornet. Tandem quoque usum hīc dupli-

) 7 (

duplicem sive ad probandum sive ad illustrandum in-  
dicamus, maxime tamen illum, qui probationibus in-  
servit.

§. VI.

Quibus sic positis, afferimus, principia rationis  
in Theologiâ valorem habere longè maximum, imò  
verò talem, qui à Theologo ignorari nequeat, propter  
necessitatem. Et quidem ob sequentes has rationes:  
(I) Quoniam ratio est donum Dei. Nullum autem  
donum Dei pugnare poterit cum Theologiâ; id quod  
exinde manifestatur, quoniam aliàs Deus secum ipse  
pugnaret, & quod in Theologiâ pro vero affirmâset,  
rursus in Philosophiâ dictaret pro falso. Aut verò,  
quod homini dedisset, sive ratio fuerit sive doctrina  
Theologica, alterum certè in perniciem dedisset, vel  
errandi causâ, quod insulsum est dicere vel statuere.  
Neque hic pro exemplo inservit, Deum legem sic &  
Evangelium homini donâsse. Cùm neque illa, neque  
hoc per se in errorem deducat, nec unumquodque id-  
circò alterum tollat. Hoc autem certum imò certissi-  
mum est, mentem nostram autorem Deum habere,  
& per consequens Philosophiam etiam nostram, utpote  
mentis effectum naturalem.

§. VII.

Colligimus (II) hoc inde, quod Deus ad imagi-  
nem suam hominem dicatur condidisse. Imago verò  
ista non in corpore quærenda, cum Deus omni careat  
corpore & materiâ, sed potius in parte illâ nobilissimâ,  
quæ animam præfert. Cùmque illa similitudo non  
solum ipsas inter substantias consistat, sed etiam exten-  
datur

datur ad operationes; amor ille sive desiderium sciendi naturale idque ordinatum, tūm verò etiam scientia ipsa, dummodò veritatis limites haud excedat, Deo simul inest ac homini; quanquam illi insit modo excellentiori. Quo pacto à Deo homini, (quando nempe eum ad imaginem suam condidit,) dicitur manifestatum, quod per naturam suam & rationis beneficio de eodem cognoscit. Rom. I. v. 19.

## §. VIII.

Ratio (III) ob quam usus principiorum rationis in Theologiae admitti debeat, illa porrò esse videtur, quoniam est unica tantum veritas. Quod sequenti argumento ad oculum unicuique patebit. Principia rationis vel vera vel falsa sunt. Si vera sunt, sequitur quod etiam vera sint, cùm in Theologia locum habent. Quod si autem non vera sunt, sed falsa potius in Theologiâ, sequitur, quod quedam falsa Deus in hac revealaverit pro veris, qualia fuerint, quæ de seipso & attributis suis, de creatione & providentiâ & alia plurima repetiit, quæ eodem modo ratio vera esse dicitur. Aut si hæc vera sunt, ut omnino esse oportet, sequetur, vera Theologica eodem modo esse falsa, id quod absurdum. Videmus ergò ex his, quod unica tantum veritas, non multiplex, eaque vel sola Philosophica, vel Theologica, Politica & Juridica &c. Id quod eruditè in peculiari Traëtatu defendit Albertus Grauerus, Theologus quondam Jenensis, de *Unicâ Veritate*. Impugnâsse autem Petrum Pomponium, Philosophum Italum alioquin accuratissimum, autor est Huëtius, Episcopus Abrincensis, Gallorum Philosophorum facile doctissi-

) 9 (

doctissimus, in Alnetanis Quæstionibus de Concordiâ  
Rationis & Fidei, pag. 49.

§. IX.

Probatur (IV) rationis usus in Theologiâ exinde,  
quoniam nemo, experientiâ teste, sine eâ propositio-  
nem ullam ex Theologiâ comprehendere valet, nedum  
recte & ordinatè dijudicare. Quod constat ex indu-  
ctione, v. g. si cuidam hæc propositio in sacris literis  
occurrat, Deus est unus, item, tres sunt qui testimo-  
nium perhibent in cœlo, sola ratio est, quæ, quid ve-  
lunt istæ propositiones, primo concipit intuitu, aliâs im-  
pîi non conciperent, utut linguis necessariis artibus-  
que instructi. Hinc demum eadem quoque est, quæ  
partes illarum propositionum examinat. Neque enim  
vel Deus, vel r̄ò unum aliter in Theologiâ sumitur,  
quam conceptus communis & philosophicus; nec et-  
iam quid testimonium, quid tres, quid cœlum suo si-  
gnificatu involvant. Et sic de reliquis propositionibus,  
nullâ exceptâ, judicandum. Ne quid jam proferamus  
de illis, quas ratio non modo concipit, & secundum  
partes suas evolvit, sed etiam probat iisdem argumen-  
tis, quæ Deus ipse denuò revelatione repetiit. Ubi  
sane tām apertus est rationis valor ac usus, ut à ne-  
mine, nisi qui Scepticum agere velit, vel si mitiori vo-  
cabulo appellare vis, Dialecticum, in dubjum vocari  
queat.

§. X.

Tandem (V) certat pro valore principiorum ra-  
tionis in Theologiâ, quod cùm Spiritus S. mentem à  
natura nobis inditam purificat, & uberiùs instituit,  
B eandem

eandem non planè abjiciendam esse doceat, sed supponat potius, imò tanquam instrumento utatur vel materiā, in quam operetur. Adeò ut hæc ipsa in colligendis mysteriis sacrī seu eruendis debeat concurrere, etiam si Spiritu S. fuerit illuminata. Quod si ergò res per se mala esset ratio atque hujus effectus, certe Spiritus S. in conversione planè extingueret, ac perderet potius, quām illuminaret, aut in altiorem finem converteret. Pro eādem re adstruendā D. Joh. Simonis, Prof. Th. Ord. in Ac. Viadr. Disp. de Ratione, quomodo à Reformatis in Theologicis usurpetur, habit. 1691. argumenta adduxit à mandato & exemplo Dei, à naturā ipsius rationis, à testimonii Patrum primitivæ Ecclesiæ & Lutheranorum Theologorum; quæ vid. §. V. seqq. cui addere licebit præter autores à nobis passim adductos Lokkium, at caute, Vassorium, Placettam; seorsim Nic. Vedelium, Joh. Musæum, & qui de usu Philosophiæ in Theologiâ singulari studio egerunt.

## §. XI.

Ut verò jam constet, quomodo hīc viā regiā ac mediā incedendum sit, ita ut nec negetur valor principiorum rationis, ubi est reverā in Theologiâ, neque fingatur ille, ubi nullus est, primò omnium supponendum est, Theologiam esse scientiam, æquè ut reliquæ sunt disciplinæ; adeoque è complexu multarum sententiārum seu thesūm constare. Quæ quidem sententiæ, cùm certam, de quā agant, respiciant materiam, nexus quodam necessario invicem conjunguntur, donec ad unum redeant, idque generale omnium principium. Fluunt ex hoc, quæcunque vel principiorum alterno-

tabus

( ii )

alternorum vel conclusionum spartam sustinent. Atque hoc est: Quicquid sacra Scriptura dicit, illud infallibili necessitate verum est. Complexum hoc est, quia est propositio constans ex subiecto & praedicato. Incomplexum vero est ipsum subiectum, sacra Scriptura, de qua afferitur, quod immotu constet veritate. Dicitur autem principium hoc utrumque cognoscendi, non primum solum, sed etiam proprium Theologiæ; (I) quia omnes Propositiones Theologicæ exinde probari possunt, & in illud resolvi; (II) quia illud principium sub hac ratione consideratur, non autem, quantum in aliâ parte disciplinæ conclusionis vicem gerente, aut alio quovis modo considerari potest.

§. XII.

Cum ergo nunc queritur, anne haec principia, & quæ ex iis oriuntur, conclusiones Theologicæ, differant à principiis rationis; respondemus utique differre. Quoniam enim S. Scripturæ principia indè à primo usque ad ultimum omnium revelationem secum continent, tanquam adjunctum perpetuum atque necessarium, sanè differunt à principiis rationis, ratione formalí, & tanquam revelata à non revelatis. Et nihil ita impedit, si quis dicere velit, esse haec contradictiones, revelata & non revelata esse. Hoc enim est quod illam differentiam infert, quando de uno affirmatur, quod negatur de altero, nempe de propositionibus singulis Theologicis, quod sint revelatae à Deo immediate, de principiis rationis, quod non ita sint revelatae, sed ex alio fonte cognoscantur.

B 2

§. XIII.

( 12 )

§. XIII.

Videtur quidem huic obstare; (I) quod revelatio supponat rationem, non autem eidem contradicat. (II) Quod sint multæ propositiones, quæ in Theologiâ æquè ac in Philosophiâ eodem modo videntur esse veræ, adeoque à se invicem non distinguuntur. (III) Ubicunque iidem termini, subiectum videlicet ac prædicatum, sunt, ibi una & eadem videtur esse veritas. Sed in Philosophia pariter ac in Theologia tales esse, manifestum est; Ergo. Sed respondetur, quantum ad (I) quanquam aliqua sit subordinatio, non tamen unum est alterum. Neque enim quæ ratio suggерit, à Deo tanquam causâ proximâ particuliari proficilcuntur; & qua revelatio præstat, in quantum præstat, à ratione haud procedunt. Sub hâc ergò ratione formalis manet nihilominus contradictione, etiam si materiæ sibi mutuo subordinentur. Ad (II) respondendum erit: Quanquam non negetur, quod conclusiones reperiantur, quæ sunt veræ tam in Philosophiâ quam in Theologiâ; interim tamen non sub eâdem ratione considerantur à nobis, vel cognoscuntur. Ad (III) quod nihilominus termini illi connexionis modo distinguuntur. V.g. Deus est unus; ratio est hæc, quoniam S. Scriptura hoc dicit. In Philosophia & Theologia Naturali Deus unus dicitur, quoniam est independens ac simplex.

§. XIV.

Quoniam ergo satis constat, Theologiam esse scientiam, quæ conclusiones suas ex principiis propriis, iisque certis & indubitate demonstret, quæque proinde objectum conveniens ac necessarium propositum habeat,

habeat, cādem utique viā, ac reliquæ disciplinæ, in demonstrando Theologus procedet. Nempe examinabit ille primum juxta regulas Logicorum propositiones, an sint Enunciatiæ, an non sint. Jamque porrò, quæ sint partes propositionum, videlicet verbum, nomen, & particulæ propositionum simplicium & compositarum ex diversis linguis, mediisque Hermeneuticis, communibus pariter ac propriis, eō facientibus considerabit. Hinc demū colliget consequentiam per syllogismos Analyticos, quales in logicis itidem suas leges universales habent ac necessarias, ut veritas inde absque oppositi formidine constet. Atque hæc quidem omnia, ut ratio modum ac formam ad scientiam unamquamque pervenienti suggestit, ita quoque admittit, imo admittere debet Theologus; qui quidem Usus Rationis organicus *νατ' εξοχὴν* dici solet. Nam Deus hīc aliā viā rem aggrediendam haud voluit, in primis quoniam veritas collectionis non est inventa ab hominibus, sed ex naturæ ordine inevitabili observata, atque in ipsis rebus fundata, adeoque ut per syllogismum formalem colligere, sit tantæ necessitatis, ut ab illā regulā nemo, quicquid etiam per naturam contetur, jure secedere possit.

## §. XV.

Evidem in contrarium fortè quis objiciat, ubi cunque per syllogismum Analyticum quicquam colligere est, ibi debere colligi conclusiones ex veris & immediatis causis. Sed in Theologiā non semper habemus causas, sed tantum autoritatem. Ita Christus secundum humanam naturam est omniscius. Id quod

B 3

inde

inde nobis constat, quoniam in Christo dicuntur absconditi omnes sapientiae ac cognitionis thesauri Col. II. 3. Sed cum hoc dicto infinita Christi scientia describatur, utique non magis hoc causa erit, unde formaliter concludimus, Christum hominem esse omniscium, quam definitio erit ipsius definiti. Imò verò potius testimonium tantum fuerit divinum, cui credere debeamus. Et quanquam interdùm causae conclusionum in sacris literis videantur suppeditari, tamen illæ, si ex aliis iterum repetantur, prout in Analyticis, si ab adversario postulatur, omnino convenit ac necessarium est, omne illud, quicquid est earum, ad autoritatem revelantis, ut antea diximus, non ad evidentiam primorum principiorum, ut in aliis disciplinis, reducitur.

## §. XVI.

Sed respondemus, (I) autoritatem illam sacrarum literarum, in qua omnes fundantur propositiones, nihilominus esse causam certitudinis in conclusione, mentemque adeò nostram facere *auerat*, prout postulat Analyticus; quippe quod in Syllogismis demonstrativis non ubique requiritur. Quod enim alibi facit causarum evidentia; hoc in Theologiâ præstant virtutes divinæ, intellectu pariter ac autoritate humanâ longè superiores: in primis, quod Deus testimonium illud perhibens ipse sit veritas. Sufficit ergò evidenter demonstrasse, quod Deum conclusiones Theologicæ habeant autoritatem, quod per causas utique indubitatas fieri potest.

## §. XVII.

(II) Non impedit etiam in rebus naturalibus, potissimum

potissimum verò in illis, quæ actiones hominum concernunt, uti autoritate. Tum enim fieri solet, ut autoritatem magnorum virorum habeamus instar effectus veritatis, & sic procedamus ab effectu ad causam. Ut si quis querat, cur nemo laedendus sit, & respondeatur, quia omnes homines sanâ ratione praediti sic sentiant. Si pergitur, cur sic sentiant, non sit circulus, si iterum regeratur, quia verum sit, atque sub hâc ratione ab ipsis cognitum; cum ex effectu ita causam colligamus. Quantò magis verò id fiet in divinis, ubi inter veritatem cognitam & revelationem cognoscentis, ne γενι quidem interest, quod autoritatem ejus labefactare queat, quemadmodum sèpè quidem in rebus humanis fieri consuevit. Patet ergò ex his, etiamsi autoritas dicentis pro effectu veritatis sumatur, tamen etiam alio respectu, cum syllogismum ingreditur, & suis legibus haud caret, veritatis, aut potius conclusionis de veritate causam præbere posse. Et sic etiam judicandum erit de definitione & exemplo allato. Quanquam enim causa definiti non sit definitio, causa tamen conclusionis est certissima in Analyticis, si legitimè fuerit concepta. Evidentiâ verò ipsarum rerum ne quidem in naturalibus semper nisi licet, cum sèpissimè haud pateat. Et nihilominus syllogismi defectu laborare nullo dicendi sunt.

## §. XIX.

Atque ita nemo negabit, cum syllogismis ritè formatis ac perfectis in Theologiâ locum suum concedit, quod per consequens etiam unusquisque eorum debet præter conclusionem duabus constare præmissis, quarum

quarum una respiciat alteram, eamque afficiat. Hinc  
verò porrò præter valorem illum, quem organicum  
aut instrumentalem nominavimus, de ipsâ materiâ  
quæstio primò oritur, an illæ præmissæ debeant esse  
comparatæ, ut nonnisi principia revelationis in Theo-  
logiâ admittant, an verò loco principiorum revelatio-  
nis adhiberi principia rationis etiam possint, qualia à  
Philologo aut Philosopho, quam tali, aut alio quovis  
suggeruntur? Ad quam respondetur affirmando. Ni-  
mirum principia rationis, h. e. propositiones, in aliis  
scientiarum generibus præter Theologiam cognitas  
atque probatas, ipsos syllogismos hic posse ingredi.  
Idque facimus sequentem ob causam, quoniam princi-  
pia rationis non sunt opposita per se principiis Theo-  
logicis, sed potius disparata, & interdum subordinata. Quæ  
verò opposita non sunt ea non respuunt omnem con-  
nectionem, quæ ad veritatem inferendam requiritur.  
Nam si quicquam contra veritatem est, oritur hoc ex  
oppositione eorum. Itaque etiam Medicus à Juris-  
consulto, & vice versa, & ab utroque Philosophus &  
vice versa, mutuò sumunt principia. Neque ergò The-  
ologus isto quoque privandus fuerit beneficio, in primis  
quoniam materiæ, circè quas occupatus est, omnium  
amplissimæ sunt, atque propterea magis ille indigeret  
aliorum disciplinarum apparatu. An verò inter hæc  
disparata ordinem quendam aut propinquitatem inve-  
niat, ipse videbit, dummodò liceat adhibere.

## §. XIX.

Sciendum tamen est, quanquam illa principia ra-  
tionis faciant nostram scientiam, quam de rebus Theo-  
logicis

( 17 )

logicis habemus , certiorem atque evidentiorem : ea non esse idcirco perpetuo necessaria dicenda , sed posse etiam utramque præmissarum sumi ex sacrâ Scripturâ , ita ut Major & Minor ex revelatione consistat . Neque enim tam inops est S. Scriptura , aut tam sterilis , quin plerisque in rebus præstet , non modò rerum , sed etiam causas conclusionum . Adeoque nunc ipsi juxta artem ratiocinandi argumentari videntur autores , & minorem propositionem majori subjungunt , tûm quoque hunc ordinem sæpe invertunt , item alteram earum appetius , alteram obscurius exhibent ac probant ; nunc verò ex aliis locis alterutram præmissarum addendam supponunt , quorum vel ipsi , vel alii autores sunt . Ubì similis est ratio , ut in corpore legum variarum , in quibus unius causa sæpè in alterâ continetur ; & utraque præmissarum diversis extat in locis , ut hinc una lex alterius præmissa sit , vel conclusio .

§. XX.

Sed verò , præterquam quod breviter sæpè causæ in S. literis innuantur , adeò ut ratione sanâ evolvendæ sint , prout in legibus moris est ; prævidit etiam Deus homines , rationis suæ amantissimos , aegrè hinc discersuros . Unde concessit sub necessariis conditionibus ejus usum . Quæ quidem conditiones tâm manifestæ sunt , ut nemo sanæ mentis sit , quin videat illarum vim atque efficaciam . Quod itaque ad majorem propositionem attinet , sicut in Logicis observatur , quod universalis illa maximè esse debeat , ut subsumi accurate quicquam sub eâ possit , ita quoque tâm universalem illam esse convenient , ut ejus veritatem nulla , si vel ma-

C

ximè

ximè ex revelatione desumpta videatur, infringat instantia. Sed potius per se, neque contingenter, aut ex voluntate vel divina, vel humana, vera sit. Quæ duo etiam requisita, necessitas nempè, & prædicatio universalis, omniq[ue] carens exceptione, comprobant, propositionem in Syllogismo Theologico ex ratione desumptam majoris præmissæ vicem subire posse.

## S. XXI.

Proinde ergò prima quidem principia, v. gr. Impossibile est simul esse & non esse &c. & quæ ex his proximè orta, loco majoris convenire, fatemur. Sed cum non facile hæc quisquam negaverit, prima quoque in unaquavis scientia, v. g. omne corpus naturale constat trinā dimensione, item, omne triangulum constat tribus lateribus, &c. suo loco usurpari queunt. Imò verò & illa, quæ prima non sunt in hac vel illâ parte doctrinarum, at in primis his veritatis inveniunt fundamentum. Tuto enim sic inferas, desumptā majori propositione ex Metaphysicâ: Cui entis primi singula attributa convenient, illud ipsum est verus Deus. Sub quâ minor hæc subsumitur: Christo talia convenient; Ergò. Item parimodo ex Physicâ: Cui competit omnes partes hominis essentiales atque hinc resultantes effectus, ille verus homo est; Christus &c. Ergò. Major in utroque argumento, certa in Philosophiâ; nam non licet dare instantiam; neque minus in Theologiâ valet hoc utrumque principium, etiamsi axioma tantum vel Metaphysicum vel Physicum sit, quod non quidem primum est, sed in certo tantum capite, videlicet ubi de Ente agitur vel de homine, in Philosophiâ verum

verum esse, demonstretur. Id quod inde resultat, quoniam tanta hic appareat connexionis prædicatorum cum subiecto necessitas, ut Deus ipse hanc tollere nequeat, adeoque nec à revelatione destruatur. Neque impedit, quod in certo genere tantum sint universales. Propter necessitatem enim suam universalem hanc rationem induunt, sub qua absque hæsitatione subsumas.

## §. XXII.

Minor propositio itidem è ratione constare potest, sed ita, ut sive universalis sit, sive particularis, subsumatur sub majore, eodem per omnia respectu. V. gr. Omnis homo propter carnem corruptioni est obnoxius; Sed nullus spiritus propter carnem corruptioni est obnoxius; Ergò, nullus spiritus est homo. Qui Syllogismus ostendit, Angelos non esse homines, & Theologicus dici potest, utpote revelatus, etiam si minor propositio ex ratione & universalis sit. Nam major causam continet conclusionis ex revelatione desumptam Ef. XL. 6. Nec impedit in aliis quoque disciplinis eundem valere Syllogismum, eundemque medium terminum. Sufficit enim nobis revelatum esse. Sic quoque Propositio quædam universalis est in sacris literis revelata, Rom. VI. 7. Quicunque reverà mortuus est, ille est à peccato justificatus. Minor ex ratione nota: Quidam, qui in purgatorio dicuntur adhuc esse post mortem, reverti mortui sunt. Ergò. Concludimus, eos justificatos esse à peccato; & per consequens, haud amplius poenam luere debere. Minor, ut ritè hīc concludatur, sumi potest tām de morte naturali, quām spirituali, quā peccatis valedicitur. Paulus enim comparationem in-

ter utrumque mortis genus loco citato instituens , regulam quasi præmittit . Neque obstat Paulum subsu- mere mortem cum Christo , i. e. spiritualem , quippe cum tertium comparationis , aut cur ita subsumat , eo- dem in loco demonstret . Verum si quis alio respectu subsumeret , quosdam impios , quâ tales , esse mortuos . Ergo eosdem à peccatis esse justificatos & à poenis im- munes ; utique falleretur , utut propositio ista minor verissima sit . De impiis enim non loquitur Paulus . Ubi id quoque adhuc observamus , quod minor saltem necessitate haud cedere debeat propositioni majori .

## §. XXIII.

Neque verò hæc mens nostra de utrâque illâ pro- positione est , quod simul & in uno eodemque syllo- gismo ex ratione solâ ambæ desumi possint . Ita enim istæ adhibendæ sunt , ut semper alternatim ponantur , atque una saltem illarum semper constet ex revelatione . Quoniam enim in utrâque præmissarum præmittitur , & ter vel quater intra has transponitur , Medius Terminus , cum subjecto suo vel prædicato conjunctus , hic verò semper ex Theologîa desumi debet , tanquam ra- tio aliqua vel causa credendi & assentiendi ; sane nullæ conclusiones dantur Theologicæ nisi una præmissarum fundata sit expressè in Scripturâ sacrâ , ita quidem , ut quod affirmat vel negat , sub ratione illâ formali fiat , quam antea diximus esse perpetuum principiorum Theologicorum *κετήσιον* ; nempe ut sit à Deo revelata , & hoc pacto à non revelatis distincta . Quem in finem adhuc sequens addere licebit dilemma : Aut Syllogismi Theologici omnes constare debent ex utrâque præ- missâ

( 21 . )

missâ revelatâ: aut si minus, vel ex utrâque non revelatâ, sed ex ratione desumptâ; vel ex unâ. Primum negavimus, cum valorem rationis in Theologiâ probavimus. Alterum idè negamus, quia sic non esset syllogismus aut conclusio Theologica, siquidem hæc revelata ex non revelatis sequi haud potest. Ergò sequitur postremum, quod erat demonstrandum.

§. XXIV.

Videntur quidem sic duo esse principia conclusio-  
num Theologicarum, ratio nempè & S. Scriptura, quo-  
niam hæc alteram præstat præmissarum, alteram illa,  
tanquam duo principia complexa. Verum quanquam  
rationem principium non solum, verum etiam causam  
efficientem propositionis ejusmodi Philosophicæ, syl-  
logismum Theologicum ingredientis, non inficiemur:  
tamen idè principium non est illius conclusionis The-  
ologicæ. Neque dicendum est, causam causæ etiam  
esse causam causati, & sic rationem præmissæ simul,  
utpote causæ conclusionis, atque ipsius conclusionis,  
esse causam. Hoc enim de forma solum uniuscujusq;  
syllogismi concedi potest, ac propositionum eodem  
comprehensarum; de materiâ non item. Hanc verò  
quod concernit, proximè quidem non est ratio, quæ  
syllogismum istum conficit, aut conclusionem formare  
docet, sed revelatio; atque haud ultius progradientur  
ratio, quam ut de veritate suæ propositionis tantum  
testetur, qualis est altera præmissarum, non autem de  
veritate ipsius conclusionis. Si porro se effera usque  
ad materiam conclusionis, limites scientiæ suæ tran-  
scendit, & aucta est revelatione. Neque jam amplius

C 3

nuda

nuda ratio est, de quâ diximus, nec per consequens Philologi aut Philosophi instrumentum, sed Theologi. Quod si verò sic dixeris rationem principium conclusionum Theologicarum, nihil obstabit, quin sensus etiam, ac denique ipsum corpus, idem subeant officium, cum nihil de revelatione sciri possit, nisi per sensus ad rationem transmittatur, per corpus autem ad sensum. Id quod certè admodum *ακύρως* & inconvenienter dicetur. Nos enim loquimur hîc de principio cognoscendi, h.e. quod causam fidei vel assensus præstat veram, proximam, & immediatam. Id quod revelationem esse per totam Theologiam, quippe quæ materiam ejus omnem præstat, suprà diximus, non autem rationem.

## §. XXV.

Idque ut adhuc melius pateat, sciendum est, quod medius terminus, sive ut aliàs audit, medium probandi, solum suppedit causam simul ejus, quod in conclusione probatur, & ipsius etiam denominationis argumentum & *επιτήρων*. Sit verbi gratiâ, quæstio: An Christus sit adorandus. Affirmatur illa, quia est verus Deus. Causa igitur hujus affirmationis, quod sit verus Deus, est in ipsis sacrificiis, tâm expressè, quâm per firmam consequentiam, tâm *κατὰ πνεῦμα*, quâm *κατὰ διάνοιαν*. Atque ex hac causa dicitur conclusio pariter, uti Syllogismus Theologicus, ut ut ratio præstet propositionem majorem, scilicet, quicunque est verus Deus, ille est adorandus. Neque enim ulterius hîc ratio pergit, quâm quod propositionem illam æternæ veritatis esse, dicat, quæ nec ab ipso Deo aut ejus voluntate possit mutari. Theologus à reve-

à revelatione etiam hanc necessitatem edocet, assensum haud denegat, atque sic eò tutius subsumit, quod suum est, & infert conclusionem. Cum ergò nihil rei habeat ratio cum hac quaestione: Num Christus sit adorandus; multò minus: An sit verus Deus; sed tantum cum illā: Num verus Deus necessariò adorandus sit; non poterit etiam illius utriusque, sed posterioris tantum dici principium. Quā de re etiam propositio illa, ex ratione nota, non potest suppeditare argumentum, quippe quod haud continet, neque Philosophus potest subsumere de Christo, quem non novit, nec quicquam etiam de eodem inferre. Similis est ratio hujus syllogismi. Quicunque est homo, ille post mortem resurget. Ego sum homo; Ergò. Conclusio, ego resurgam post mortem, causam habet revelatam, ipsam maiorem propositionem totidem verbis in sacris literis fundatam. Minor ex ratione nota, nec per se infert conclusionem Theologicam, ideoque nec ejusdem principium est, sed potius propositio major, quae Syllogismi simul & conclusionis caulam præstat ac fundamentum.

## §. XXVI.

Neque verò per medium terminum intelligimus ipsas voces, harumque definitionem aut examen, qualis in priori Syllogismo est Deus, in altero homo. Sic enim negandum non esset, quod ex ratione medium terminum desumere liceret, quoniam Deum pariter ac hominem, quoad naturam & attributa considerat Philosophus, non minus quam Philologus dicta Scripturæ; utut relinquat etiam Theologo ex propriæ disciplinæ

plinæ legibus ac principiis utrumque spectare, & cum Philosophiâ & Historiâ conferre. Sed cum non susticat, terminos tantum poni in Syllogismo, nisi horum etiam inter se demonstretur connexio, medium probandi hoc sensu a medio termino sedulò distinguendum. Deinde etiam cum hoc medio confundendum non est dictum de omni & nullo, ut Logici vocant; quippe quod syllogismum quidem perfectum formare docet, & sic monstrat connexionem hujus medii cum subjecto & prædicato, ratione formæ, ipsam verò materiam planè non attingit. Et sic non judicat, an in sacris literis nobis alias quispiam, præter Deum, adorandus exhibeat, an minus; item, an semper adorandus sit Deus; an homines quidam, v. gr. impii, aut vivi in cœlum translati, in S. Scripturâ non dicantur resurrecti; & sic porrò.

## §. XXVII.

Denique etiam medium hoc non impedit, quin sæpè illa conclusio, cuius est medium, vel per aliam causam, vel per eandem, & quidem Apodicticâ quadam necessitate, aut faltem verisimilitudine, beneficiò rationis inferatur. Dantur enim in Theologiâ talia, quæ & Theologus & Philosophus probant, hic ex ratione, ille ex revelatione. Videlicet illud quod dicitur: ego post mortem resurgam; inde quoque probatur, quia Deus & natura nihil faciunt frustrâ, quod fieret, si homo post mortem non resurgeret. Nec tamen hæc probatio necessaria est. Necessaria verò est in hac propositione, Deus est simplex, quia est Spiritus; quod medium non tantum Scriptura sacra Joh. IV. 29. sed etiam

( 25 )

etiam sana ratio præstat. Cavendum verò est, ne à particulari hīc pergas ad universale, & quod de quibusdam sic conceditur, ad omnia extendas. Sunt enim, quæ Theologia suppeditat, nonnulla, quæ ex ratione nullo modo constant, qualia sunt: Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum S. esse Deum, neque unum esse alterum, & tamen unum esse Deum. Item, in S. cœnâ Christi corpus verè ac realiter à communicantibus accipi. Quæ si vel maximè nulla eorum ratio in Sacra Scriptura extaret, tamen verbis Spiritus S. apertis credere oporteret.

§. XXVIII.

Cum igitur ex his constet, omnium conclusionum Theologicarum, qua talium, causam è Scripturis desumendam esse, atq; hinc rationem, quæ tale quid præstare haud potest, principii cognoscendi in Theologiâ appellatione privari; quæritur adhuc, num causam istam forsitan, vel medium probandi per principia rationis in S. Scriptura reperire, repertum probare, & probatum tueri liceat. Ubi secundum triahæc membra fuerit respondendum? Quod ergo ad primum, non quidem est, cur illud negemus; sed cum summa plerumque in S. codice claritas, ut medium probandi etiam rudes, præsertim Spiritus S. auxilio adjuti, facile inveniant, usus iste principiorum rationis absolutè haud videtur necessarius; ideoque etiam perpetuus dicendus non est, & universalis. Quod si autem simul adhibeantur ejusmodi principia, & seriò, bonâq; cum intentione investigandi veritatem divinam ultrò citròque expendantur, utique ad inveniendum eò facilius medium terminum

D

pluri-

plurimūm faciunt. Nimirūm probandum sit illud, quod Christus ejusdem cum Patre essentiæ sit, quā Deus est. Sive ergo naturam filii Dei, ut subjecti, si-  
ve essentiæ divinæ, ut prædicati, consideres, ratio do-  
cebit ortum filii Dei expendere. Quem cum reperiat  
in S. literis, nempè quod ab æterno à Patre genera-  
tus sit, ex principiis Philosophiae Naturalis genera-  
tionem propriè dictam examinat. Cumque nulla ibi oc-  
currat instantia, neque revelatio etiam repugnet, quin  
gignens & genitum sint ejusdem essentiæ, in S. Scriptu-  
râ medii vicem generationem illam æternam subire, ar-  
guit Philosophus, & Theologo subministrat, quicquid  
inyenit. Ubi tamen facile patet, usum solum istum  
principiorum rationis esse organicum, non causam ve-  
ritatis circâ medium hujusmodi Theologicum cogni-  
tioni nostræ fuggere; quippe quod facit demùm ipsa  
Revelatio. Ratio, quod esse possit, Theologus, num  
sit ille medius terminus, dijudicat.

## §. XXIX.

Quod si tamen medium illud in Scripturis reper-  
tum probandum sit principiis rationis, id quidem ite-  
rūm posse fieri concedimus. Èâ tamen conditione, ut  
propositiones è naturâ aut ratione simul notas à merè  
Theologicis, & argumenta probabilia ab Analyticis, &  
verborum denique explicationem ab argumentis di-  
stinguamus. Nam si sola tantum medii cum utroque  
extremo conclusionis Theologicæ probanda sit, & qui-  
dem certa, connexio, aliundè quām ex sacris literis id  
fieri nequit. V. gr. Sit propositio: In S. coena verum  
corpus ac sanguinem Christi ore accipimus. Rationem  
quare

( 27 )

quare hoc credamus, (nam mysterium est,) damus illam, quia expressis verbis ita in Scripturis extare legitur. Unde fit argumentum: Quicquid expressis verbis in Scripturâ edere & bibere jubemur, illud etiam ore accipere nos, credendum est. Atqui verum corpus & sanguinem Christi &c. Ergò. Si quis medium probare velit, non poterit, nisi allegato ipso testimonio, & verborum, ubi opus est, dextrâ explicatione è Philologâ depromtâ. Quæ tamen in applicatione ad textum sacram soli Theologo relinquitur. Hic ergò nihil porrò requirendum judicat, & sic argumentum hoc Theologicum proximè ex principio Theologiae primo petit, illo nempe: Quicquid S. Scriptura dicit &c. Ratio quidem in subsidium vocat Testamentorum naturam, verbis claris conceptorum. Verùm hæc ratio, ut illa prior, animum haud plenè convincit, utpote quæ non semper est necessaria aut vera, sed  $\omega\delta\eta\tau\delta\pi\alpha\lambda\delta$ . Ex Scripturis vero si præterea accedant argumenta, novum quidem, sed non æquum, ut illud ab expresso testimonio deductum, accipit robur. Alia vero est ratio, si ex Scripturis probatur, Testamentum hominum non esse rejiciendum aut mutandum, quia suprema horum voluntatis est, cuius mutatio in republica parit confusiones & incommoda, & quæ plures hujusmodi causæ sunt. Gal. III. 15.

## §. XXX.

§. XXX.  
Ad confutandum denique illos, qui medium terminum vel detorquent in alienum senitum, vel propter causas haud sufficietes in dubium vocant, usum praestat ratio. (I) Cum ex S. literis adducta testimonio pro-

bat, regularum Exegeticarum communium ope, neque sensum illorum alium esse posse, evincit. (II) Cum ex his perperam concludentes, arguit. (III) Cum ipsam quoque materiam, in quantum illud fieri potest, ex principiis suis vindicat. Quem in finem, Physicam & Metaphysicam Photinianorum, quantum ad materiam, uti & Logicam, quantum ad formam pertinet, scripsit Andr. Keslerus Th. D. & Superint. Coburg, ut ostenderet, sinistrè admodum in illâ Philosophiæ parte sentire Photinianos, atque hinc etiam media in Theologiâ falsa probandi assumere. Hinc Logicæ quoque idem præmisit Tractatum, *de illegitimo Photinianorum disputandi modo, & legitimâ ratione piè philosophandi.* Quo etiam pertinet Corn. Martini liber, *de Analysis Formæ & Materiæ.*

## §. XXXI.

His ergò sic deducit's facile patet, quo pacto fiant invalida, nec ad ignorantiam solum, sed etiam ad errores proximè ducant in Syllogismis Theologicis rationis principia. Paralogismos nempe efficiunt, Syllogismis oppositos, neque id, quod quæritur, concludentes. Quos si generatim capis, vel in formâ vel materiâ, vitio laborare possunt. Et huic, si nævus inest, id vel inde fit, quod principia rationis dicantur, quæ non sunt, videlicet cum falsa omnino sunt; aut saltem, cum rationi consentanea sunt, non cognoscuntur, nisi in certo tantum disciplinarum genere, in quo probantur & explicantur, adeoque nec universalia satis, nec ubique necessaria. Quod si autem transferantur demum ad alias scientias, fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, sive transi-

tus,

tus, aut saltus potius ad aliud forum. Ita Philosophiæ est *ānāt̄n̄ n̄sn̄*, sive *inanis deceptio*, & quæ nihil firmiter concludat; de quâ *Col. II. 8.* Et Clemens Alexandrin. *Stromat. I.* disputatione ad hunc locum peculiari. Quâ in re plerunque solet peccari; quandoquidem ea hominum est libido, ut sibi facile vindicent aliena, quæ propria sunt, haud satis curantes. Ita confundi solent subjecta disciplinarum generalia, quæ, cum limitantur debitum modum, singula propriam disciplinam respiciunt. Hinc porrò fit, ut subjectis illis aut affectiones alienæ, aut propriae quidem, sed non ex principiis propriis, adeoque nec rectè tribuantur. V.gr. Si certum caput ex Theologiâ sumitur, idque Philologicum ideò vocetur, quoniam è Philologiâ illustrari potest. Ex quo sequitur, ut vel ex principiis rationis falsæ id explicetur, vel ex principiis rationis veræ, at illud, quod in quaestione est, haud inferentis; vel deinde ex principiis revelationis, quæ malè principia rationis esse dicuntur. Cavendum tamen est, ne per principia rationis, quæ valida esse, ex quibusdam requisitis jamjam demonstravimus, μετάβασιν hanc dicas committi.

## §. XXXII.

Ea ut adhuc clariora sint, exemplis in contrarium allatis nonnullis dilucidabimus, quorum quædam levioris, quædam verò gravioris erunt momenti. Impingit circè ipsam definitionem Huétius *loc. cit. p. 7.* rationem appellans *facultatem animi nostrī*, quā conatur verum cognoscere, sive simplici factâ rerum apprehensione, sive compositione quoque & divisione, ac de-

mùm etiam ratiocinatione. Verùm quoniam hic co<sup>2</sup>  
natus non nudæ tantùm rationis est, sed etiam auctæ  
per revelationem & adjumentum S. Spiritus, non qua-  
drat hæc definitio, nec satis distinguit rationem à re-  
velatione. Nos itaque sumsimus rectius pro ipso hujus  
facultatis seorsim sumtæ effectu §. III. Nec satis distin-  
ctè hunc effectum assensum nominat, quem Poiretus  
Libro de Fid. & Ratione collatis, & suo loco redditis, Am-  
stel. MDCCVII. edito, in Praefat. adducit ac rejicit, A-  
nonymus, cui ratio assensus est, ob autoritatem profe-  
rentis Dei præbitus; ad quam requiratur revelatio, i.e.  
veritatis manifestatio vel mediata vel immediata. As-  
sensus enim est actus voluntatis, nec exaurit totam  
rationem. Deinde etiam revelatio, cum principium  
rationis est, latè, pro acquisitione cujusque notitiæ per  
rerum naturam, sumitur. Nos utramque, revelationem  
ac rationem, sibi mutuò opponimus.

## §. XXXIII.

Errat porrò Bekkerus in *Discurs. Preliminari ad Mund. Fascinat. Lib. II. & III.* quo, cum disputat pro-  
lixè de Usu rationis in rebus Theologicis, corruptam  
hanc putat intelligi, quæ sub obsequium Christi sit capti-  
vanda, I. Cor. X. 5. Ratio enim corrupta hoc nomine ne  
quidem afficienda est, nisi secundariò tantum. Sanam  
verò, cum pro vera sumitur, & corruptioni opponi-  
tur, imperfectam nihilominus, & à revelatione distin-  
ctam diximus. Undè sequitur, propter hanc imper-  
fectionem etiam restitutam captivam tenendam esse  
sub Fidei obsequio. Neque verò hoc ita intelli-  
gendum volumus, ac si ratio in statu restituto illa sit,  
qua

quæ renovata gratiâ & collustrata lumine Spiritus S. pro-  
ut quidem eam hoc pacto sumere videtur D. Simonis, in  
disputatione de Ratione, quomodo à Reformatis in Theologi-  
cis usurpetur, Thes. IV. Sct. I. Plus justo enim eidem sic  
tribueremus. Ratio enim in naturalibus non perfici-  
tur iterum aut reparatur Spiritu S. sed usu ac labore;  
in spiritualibus autem omnino cœca est, nec principium  
discernendi dici poterit. Id quod probè observârunt  
Altingius in *Loci Communibus* p. 22. qui rationem hu-  
manam non recte nec propriè dici principium Theologie;  
Wendelinus in *Systemat. Major.* p. 12, 13. qui rationem  
hominis non esse normam credendorum, probat. Et Voë-  
tius in *Disputationib. Select.* p. 3. nullam rationem huma-  
nam esse principium quo, inquit, seu per quod, aut ex  
quo, seu cur credamus, aut fundamentum, aut legem, aut  
normam credendorum, ex cuius præscripto judicemus.  
Nec enim in eo principii discretivi ratio consistit, ut  
formam argumentandi suppeditet, aut unum alterum  
ve principium ad complendum Syllogismum, sed ut  
Medium probandi præstet, quod sola facit revelatio  
in Theologiâ.

## §. XXXIV.

Ex quo fonte & illud profluxit, quod disciplinæ  
invicem confundantur, quemadmodum fecisse vide-  
tur P. Bernhardus Lamy, Congreg. Orat. Sacerd. in *De-  
monstrat. Veritatis & Sanditatis Christian. Dial. II.* edit.  
*MDCCVI.* cum Theologiam Moralem corpus affabré  
dicit constructum & excellentissimum Philosophiae Moralis,  
& Philosophiam Moralem melioris notæ præstantissi-  
mum esse devotionis librum, cum ratio & S. Scriptura  
idem

idem h̄c doceant, & utraque sit eadem ejusdem Numinis vox, ista quidem interius, h̄c, nemp̄ Scriptura S. exterius homini quicquam mandantis. Quo tendere idem Autor videtur, quando *cap. XX. rationem augustam* vocat, quae est illuminata, & cum ratione, per suam experientiam & proprias reflexiones constante, confundit. Et sanè videtur huc tendere Poiretus *loc. citat.* ubi mentionem facit Sectæ cuiusdam inter Philosophos Pontificios, qui cum Malebranchio tantum non omnia rationi tribuant, ipsam etiam fidem postponentes rationi, fidemque medium ad rationem esse, statuentes.

## §. XXXV.

Quod si ergò hoc modo misceatur cum revelatione ratio, nec dextrè primū & satis apertè, quoisque vergat, describatur, utique errores partim in defectu, partim in excessu, se mutuò progenerant. Accidisse hoc jam tum nascentis Ecclesiæ primâ ætate, atque hinc Patres aliis argumentis usos esse contrà illos, qui fidem Christianam ratione definiti, criminabantur, quam contrà Gnosticos, contrà quos fidem αποδεῖται opponant, notavit Jonathan Eduardus, Anglus, in *Antidoto contra Socinianismum*. Qui in defectu peccant, primo loco sunt numerandi Athei. Nam illi, ratione cùm maximè uti volunt, eam jure suo privant, cum statuunt, hoc, quodcumque videmus, esse à se ipso, adeò ut stultos propterea Davides vocet *Psalms. XIV. 1.*

## §. XXXVI.

His succedunt Fanatici & Quakeri, dum rationi nuncium

( 33 )

nuncium remittunt, & quicquid in buccam venit, si-  
ne mente proferunt, atque eo ipso cum damnant ra-  
tionis usum salutarem, eò usque etiam in Philosophiâ  
proveniunt, ut cum Atheis, & si mitiùs judices, cum  
Deistis colludant. Sic enim Autor *Historia de Ortu*  
& *Progressu Quakerismi* & *Dogmatum ejus edit.* Colon.  
*MDCXCII.* ex Epist. Barclaji ad Legatum quendam de  
anno *MDCLXXVI.* quod hic judicaverit, utilia qui-  
dem esse posse de Christo revelata, vel per consequentiam  
illis necessaria, qui revelationem agnoscunt, absolutè  
tamen à priori creditu necessaria minime esse, ut ne id  
quidem, unum esse Deum & mundum creâsse. Quibus  
pollicem premunt subtiliores etiam Anabaptistæ, Phi-  
losophiæ usum, utrum tempestivum, impugnantes,  
aut saltim spernentes. Imò omnes illi, quotquot sub  
specie devotionis aut pietatis eruditioñem spernunt,  
atque illo Paulino abutuntur, *I.Cor. II.14. Naturalis,* (aut,  
ut in Græco est, θυχηνος, *Animalis,*) homo non percipit,  
quaे sunt *Spiritus Dei*, sultitia ipsi est, neque potest cognoscere.

§. XXXVII.

Peccant & illi, qui rationem quidem esse, & suo  
in loco consistere, ajunt, sed tamen si adhibeatur, ali-  
qua saltim principia rationis Theologiæ contrariari vel  
contradicere. V. gr. Ex nihilo nihil fit; Quot sunt  
personæ, tot sunt essentiæ; &c. Etiamsi hæc contra-  
rietas vel contradic̄tio quoad speciem solummodo sit,  
non quoad rei veritatem. Perstant enim hæc suæ  
certitudine principia, dum adhibentur intrà suos limi-  
tes, neque sic etiam vera ratio mentitur.

E

§. XXXVIII.

( 34 )

§. XXXVIII.

In hac Academiâ Juliâ, felici acutioris judicii officinâ, ut eam Keslerus vocat in *Methodo Disput. exemplis Colloquior. Theologicor. illustratâ Sc. MDCLXVIII. edit. sec.* seductus quondam per Philosophiam Ramæam Hoffmannus, & qui cum eo faciebant, ut Philosophiam Theologiæ contradicere affererent, imo & ejus usum damnarent, utut verum, veriorem, verissimum, testante Caselio in *Diamartyriâ*. Hinc se-ctæ enatæ, & qui starent ab hujus partibus, Caseliani, adversarii Anticaseliani appellati. Hinc &c Cornelius Martini, cum quo lucem in *Philosophicis Julie ortam*, dicere solebat Caselius, utut querentibus adversariis, cum ipso revocata Scholasticorum studia; item Liddelius, & M. Owenus de *Mutuâ inter Theologiam ac Philosophiam Concordiâ*, aliquie Hoffmannum impugnârunt, atque hic testantibus publicis actis revocare coactus est. Fatemur hanc materiam posteâ Philosophos etiam acutissimos exercuisse, inter quos in Acad. Jenensi fuit Paulus Slevogtius, in *Per vigilio de Diffidio Theologi & Philosophi in utriusque principiis fundato, Gausani MDCCXIII.* Contrâ quem scripsit Andr. Keslerus *Quadrigam Discursuum Theologico-Philosophicorum, pro defendendâ Philosophi ac Theologi Concordiâ in utriusque principiis, contrâ apparens eorum dissidium Witteb. MDCCXIV.* Quanquam de Slevogtio constet, scriptum, quod ingenii duntaxat exercendi caufâ fecerat, contrâ ejus voluntatem editum fuisse.

§. XXXIX

Certarunt adhuc nostrâ ætate de eâdem te Bailius, præcipue in *Lexico*, ubi de Pyrrbonicis differuit; & Jaquelotius, Libr. Gallic. de *Fid. & Rat. Consensu*, & Poiretus loc. citato. Bailius tuetur, rationem, ejusque evidentissima principia rationi semper adversa esse, nempe quando examinat, explicat, & cognoscit veritatem decisionum fidei, ut se uniat cum fide, eique se jungat, verum esse experta, quod fides ipsi proponit. Jaquelotius in alteram partem pronior, & Cartesianis plus justo indulgens, pernegat contrâ Bailium, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu; quod principium hic in rem suam adduxerat. Neuter verò rete id explicat, aut intelligit. Confer etiam *Collatione Maximi & Themistii Sc. ad Jaquelotii Examen Theologie Bæliane*. Poiretus Bælium fidei prædicationem simulasse scribit, & tamen prorsus eliminare studuisse. Sed & ipse in contrarium nimis propendet, fidem in traditione consistere, & independentem adeò esse ab omnibus mentis nostræ conceptibus, ut falsa sœpè opinio fidei magis optuletur, quam ob sit, & contrâ obstat vera. Hinc D. Jägerus, Theologus ac Cancellarius Tubingensis, in *Exam. Theol. Novæ*, edit. MDCCVII. de refutatione Poireti adversus Lokerum sic judicat, hunc rationem suprà fidem extolle re, illum ex fide Deum facere, ideoque mediâ potius incendendum esse viâ. Certissimum enim est, quicquid obstat fidei videtur ratio, aut sibi præter fas & meritum arrogare, id fieri per accidens, & saltem vi tio hominum. Nos verò valorem non in subiecto,

sed in effectu potius quærendum esse , monuimus.  
Hunc verò ex necessitate aut evidentiâ elucere.

## §. XL.

Alteram verò classem eorum , qui in excessu peccant , constituunt omnes gentiles , sive illi Theologiam mere Philosophicam professi sint , & in eâ acquieverint , sive Poëticam simul ac Politicam amplexi fuerint , ac proinde falsa miscuerint veris. Dehinc etiam Naturalistæ , rationem sufficere ad felicitatem veram consequendam , & mysteria illa Dei pernoscenda , arbitrantes. Pertinet huc illud Spinozæ , rerum causas sele exactissimè pernossisse persuasi , atque hinc *Ethic.* p. 37. qui ad Dei voluntatem confugint , ad asylum ignorantiae confugere , inquietis. De quo Wittichius in *Anti-Spinoz.* p. 87. *Quaristas* hos vocat Morlinus , Part. II. in *Psalms.* p. 199. cum illud *Quare*, sit vox incredulorum , causam ubique quærerentium. Sed benè Huetius , ut rationi horum , supra vires stantienti , sua demonstretur imbecillitas , principia Scepticæ Philosophiæ , tanquam *καὶ ἀθεων* , conduce re. & assensiones animi cohibendas esse , docere , loc. cit. p. 3. 15. 44. observat. Ac per placet proinde judicium Poireti , quod de opere Løkkii , de *Intellectu Humano* , adhibet loc. cit. illud esse irati Numinis erga Rationalistas effectum. Cum quibus etiam conveniunt partim , qui ex ratione solâ mysteria hæc transcendenta Christianorum refutare tentant , partim verò , qui , tametsi revelationem non negent , veruntamen felicitatem omnem , & res spirituales ex terrenis declarant.

( 37 )

clarant. Id quod etiam dictum esto de Petro Chauvinio, qui in Libro de *Naturali Religione*, edito MDCXCIII. & paulo post peculiari *Dissert.* *Augural.* à D. Buddæo examinato, cap. VII. Religionem nihil aliud esse, scribit, quam rationem exaltatam. Unde etiam Trinitatis Mysterium plures ad rationis trutinam admoverint. Quicquid enim ideò conetur ipse vel alii, aut suprà sphæram rationis est, aut nihil directè & ex necessitate infert.

§. XLI.

Cum verò hīc Naturalistæ, Latitudinarii, Rationalistæ, Sociniani, Arminianique frigidam sibi invicem suffundant, operæ pretium fuerit, eosdem adhuc inter se contendere, ut ad eorum normam, quæ ante attulimus, singuli rectius possint examinari. Socinianos nempè pares hoc pacto Paganis esse, judicat non malè Jonathan Eduardus loc. cit. quod rationem instar privilegij naturæ, & jus primogenituræ quasi habentem, ponant; nec sufficere velint autoritatem, quippe quam solam haud postulaverit Deus. Unde quanquam laudent revelationem, sub ratione tamen continent, atq; postponunt. Scriptis Discursus de *Necessitate ac Ihsu Revelationis Christianæ, ob corruptiones Principiorum de Religione Naturali inter Judeos & Gentiles*. Dan. Whitby Th. D. & Cantor Eccl. Cathedral. Salisburg. Lond. MDCCV. quos facile assumant Sociniani, si quidem non necessitas pro statu hominis post lapsum

absoluta, sed potius utilitas ibi probatur; nempè quæ sit propter correctionem, & ne veritas amplius sub iniuitate detineretur. Arminiani quid sentiant, docere poterit Limborchius, *Theol. Christian.* p. 46. Mysteria nempè Dei, post revelationem non amplius esse mysteria, sed à ratione percipi, etiam in cruento vero spirituali. Et p. 28. Non recipere ea hominem animalem, non, quia non intelligat, sed, quia intelligat, & stulta esse judicet. Conf. D. Sontagii *Venen. Arminianæ Matæolog.* Th. V. seqq. Memb. I. Opinio hæc jam ante patronum Zwinglium videbatur reperisse, qui in *Marpurgensi Colloquio MD XXIX.* Deum, dicebat, non proponere hominibus ad credendum res incomprehensibiles.

## §. XLII.

Latitudinarios itidem conspirare cum Socinianis, per singula ferè capita probat Petrus Jurius, in *Religione Latitudinarii Part. III. c. 1. & 2. seqq.* quod judicem ubique afferant rationem. Quod ut probet, adducit Wissowatii, Sociniani, librum, de *Religione Naturali seu Rationis judicio*; item ex Arthurii Burii, qui Autor est *Latitudinarii Orthodoxi, Evangelio Nudo* sententiam, quâ tuetur Muhamedem omnes Articulos Christianæ doctrinæ professum esse. Disputarunt eā de re Jurius, loc. citato, & Elias Saurinus in *Examine Theologiae Jurii.* Saurinus rationem prius auscultandam, putat, ut ad Scripturam ritè descendamus. Quæstionem verd, utrū, si ratio Scripturæ S. repugnet, hæc an illa sequenda sit, absurdam & ineptam esse,

esse, cum tale quid ponat, quod fieri nequit. Jurium, testis est Saurinus, part. I. p. 24. seqq. afferere, fidem nostram non inniti evidentiæ argumentorum, sed gravitati rerum, vel credere nos, quia nostri interest, ut credamus; sive, credere nos, quia volumus credere, non quod convicti simus, rem aliter sepe habere non posse. Hinc Spiritum S. flectere tantum voluntatem hominis, & conciliare fidei certitudinem subjectivam. Neque demonstrativè nos Scripturam S. convincere. Saurinus, haec confirmare cœcam fidem, statuit, & obstinatam persuasionem; cujus hoc pacto Spiritus S. autor reddatur. Determinare item homines ad credendum absque ratione. Romanensis & Socinianis hinc nasci opinionem, quasi principiis careamus, & credamus Mysterium Trinitatis, quia volumus credere. Unde concludit Part. II. Art. I. neminem pro pio ullâ ratione haberi posse, qui non per argumenta evidentissima, de divinitate Scripturæ S. sit convictus; atque id ubique agit, ut certitudinem cum persuasione conjungat, nec fieri posse statuat, ut plus certitudinis subjectivæ, sive persuasionis sit, quam evidentiæ in objecto.

## §. XLIII.

Sed nemo horum ab æquivocatione utique se liberaverit satis, quin errores etiam perniciössimi eadem palliari queant. Rationem homini tanquam naturæ donum concessum esse, diximus. Sed propteræ prærogativam suprà revelationem veritatis haud vindicamus. Comprehendere illam mysteria revela-

revelata, fatemur; sed per se, & ex principiis propriis, negavimus. Alioqui haud opus esset revelatione. Neque enim ita comprehendere vidimus, ut simul causas & modum assignet, multò minus, ut propter horum ignorantiam judicium suspendat, vel propter evidentiam addat, judicisque sic agat officium; aut verò ut sic in societatem doctrinæ revelatæ Muhammedanos, vel alios quosvis admittat. Ceterum cum disparata sint ratio & revelatio, sese invicem tanquam necessitate quādam connexa, non respiciunt. Interim repugnare nonnunquam videntur, quoad speciem, ubi autoritas revelantis major est. Si non repugnant reverâ, cessat quæstio de prærogativâ. Evidentiam argumentorum concedimus, ut quæ non consistat in evidentiâ ipsarum rerum, aut quæ ex ratione ortum trahat. Argumenta præstat revelatio, hinc & evidentiam, ac certitudinem objectivam; ut ut res ipsas, quoad pleniorēm descriptionem, relinquat autoritati revelantis. Certitudo hinc subjectiva nascitur, à Spīritu S. simul producta. Sic ergò principium habemus. Nihil verò ad hæc omnia ratio. Quæ si ritè expendantur, juxta ea, quæ suprà allata à nobis sunt, facile erit de opinione singulorum, uti & de hac controversiâ judicium.

## §. XLIV.

Denique etiam annotandum quicquam est hæc occasione, circà controversiam Belgarum quorundam, de ratione Scripturæ S. interprete. Nihil jam memorabimus de libro, qui prodiit MDCLXVI: in scripto:

scripto: *Philosophia Scripturæ Interpres*; cuius quidem Autorem haud fuisse Spinozam, nec alium quemquam è Cartesianis, postmodum innovuit, sed Ludovicum Meyerum, Medicum Amstelodamensem. Sed nunc solum de iis, quæ post de eâdem materiâ prodierunt. Anno MDCLXXXVI. in *Dissput.* Inaugurali Franequeranâ Thesîs VII. fuerat: *Scripturæ S. di-vinitatem non aliunde, quam ex ratione adstrui posse, eosque errare, qui afferere sustinent, si ratio aliud nobis dictaret, quam Scriptura, huic potius esse credendum.* Contrâ hanc scripsit Ulricus Huberus, *de Concurso Rationis & Scripturæ.* Sed defenderunt Theologi Cartesium sectantes, Johannes van der Wayen, & Herm. Alexander Rœllius; ille in *Mantissa*, hic in *Dissput. de Principio Cognoscendæ Veritatis.* Quam item etiam ingressi sunt, Henr. Hullius, Theologus Duisburgensis, libr. *de Principio Credendi*, hujusque adversarii duo, Hermannus Witius, Theologus celebris, in *Diss. Epist. ad Huberum*, quâ de *S. Scripturæ antiquitate di-vinâ, ex solâ ratione ad-struendâ, &c. differitur, Trajet.* MDCLXXVII. & Johannes Regius, Philosophiae Doct̄or Franequ. de *Modo percipiendi S. Scripturæ di-vinitatem.* Quam in rem etiam edidit Rœllius *Dissert. neq; doct̄orū λαργεῖα, sive, de Religione Rationali.* Quâ quidem præcipuum est, quod tuetur, posse quidem revelari, quod rationis captum superet, sed tamen an, & quid revelatum sit à Deo, ratione dijudicari, atque sic eo sensu fidem ipsius Trinitatis, aliorumque mysteriorum, rationis judicio niti, & rationalem esse debere. Atque hinc rationis in Theologiâ usum constare & au-

toritatem , tūm ex ipsā experientiā , tūm exemplis Prophetarum , aliorumque , quibus à Deo facta revelatio . Quod in specie ostenditur exemplo Abrahami , qui nisi omni exceptione majoribus argumentis persuasus fuisset , mandatum , quod filium immolari jubebat , divinum esse , enormiter contrā ipsum Legis opus , cordi inscriptum , peccāset .

## §. XLV.

Hulsius verò , loc. citato , falli omnino affirmat , qui Philosophiam nominant Theologiae famulam , cum potius Theologia Philosophiae famuletur , quippe cum in eum finem data sit revelatio , ut lucem rationis aberrantem corrigat , & sermo fidei in sermonem sapientiae proficiat , ac nitatur , ut ad conscientiam se commendet . Fatetur tamen insufficientem esse rationem , & ratiociniis suis inquietam , nec salutarem . Quod ut ulterius ostendat , tria statuit credendi principia , Rationem , Scripturæ S. testimonium , sive Revelationem , & res ipsas . Primum , in quod resolvi debeant reliqua , esse rationem . Hujus usum vel organicum esse , quando quæ in Scripturis mysteria , ac fide recipienda sunt , illustrat ex libro Naturæ , literis humanioribus , literarum monumentis , disciplinis Philologicis , & Philosophicis . Post illustrationem loca confert , & utriusque Testamenti versiones adhibet , rem examinat ad analogiam fidei , & per consequentiam plura elicit . Usum dein Principalem , de quo maxime agat , (r) non attentâ autoritate ullâ , judicium ferre de credendis , neque tolerare , sub obedientiam fidei

( 43 )

fidei captivari ; (2) normæ principem locum tenere, omnia assumendorum ; (3) axiomata sua instar causarum ac argumentorum, cur quicquam credatur, suppeditare. Ita demum principium existere, ex quo enascatur fides, & in quod rursus resolvatur. Hunc verò usum præstare in primâ fundamenti confirmatione, sive autoritate Scripturæ Sacræ. Ideoque *πίστεως* Spiritus S. immediata rejicitur.

§. XLVI.

Sed hæc omnia jam tum à nobis notata. Usum Organicum pariter, ac Principalem, rationi haud denegamus. Sed propterea principium non esse Theologiæ, demonstravimus. Aliud enim involvit, quærire, num principia rationis locum habeant in Theologiâ, aliud, num ratio Theologiæ sit principium. Hoc enim est, quod causam credendi simul cum ipsâ re credendâ suppeditat, quorum neutrum rationem præstare, apertum est. Faciat, quod sui officii est, ratio in Philologiâ, aut Philosophiâ, uti recensuit Hulsius. Sanè, si nihilominus inquieta est & insufficiens, attendere debet autoritatem superiorem, cuius quidem diatu perficit, cui normam relinquat unicam, & à quâ expecter credendorum causas. II. Cor. II. 5. Si quid affert ad Theologiam, revelatione primum probari necesse est; pariter ut nec Theologus principia rationis ac certa, suis, aliter forte apparentibus, infringit. Quomodo ergo principium Theologiæ potest esse? quomodo fundamentum confirmet, quod nescit? aut quomodo rejicit Spiritus S. *πίστεως*, quam non sentit? quomodo

F 2

sub

Sub potestate suâ tenere potest Theologiam, hujusque servitutem ambire, à quâ se corrigi patitur? quomodo sibi tribuat primum locum, cum ad finem longè ignobiliorum ordinetur.

§. XLVII.

Cetera, quæ afferit Roellius, antea examinata. Rationem appellat, quæ non est. Etenim apertum est inter Rationem simplicem, & à Spiritu S. illuminatam, discrimen. Imò similis fermè ratio, ut inter ministerium Regis quemlibet, qui secretis ab hoc fortè consiliis instrutus, & consiliarium statum intimum. Neque enim efficit omnium arcanorum Domini sui conscientium, quod unum alterumve mandatum acceperit. Habet suos limites ratio, habet & revelatio. Interim præstat in eo posterior, quod, ut princeps, jubeat anteà ignota, cognita repeatat, atque confirmet sanctiori quasi sigillo. Si quid ultrà præstare potest ratio, vires periclitetur. Sentiet certè imbecillitatem, sentiet mille ambages, erroresque totidem. Notat ideo Witsius ad Quæst. I. de scriptore Gallo, quod rationi supremum deferendo tribunal, in Judiciis super Richard. Simonis Historiam Criticam, plerosque Sacrae Scripturæ libros ad rationis suæ decempedam vocaverit, judicaveritque de Jobo, non esse veram historiam, sed fictam Tragoediā, in quâ contrà decori & probabilitatis leges plurifariam peccatum sit, quæque consequenter Dei Spiritum autorem habere non possit. Ad eundem modum philosophari de Psalmis & Sacris Proverbiis; item de Cantico Canticor. quod pro

( 45 )

pro Idyllo vel Eclogâ habeat, Theocriti fortè vel Virgilii carminibus simili. Ut taceamus, quæ inde elicit Regius, Theologiam Revelatam totam esse Naturalem, fidem & Scripturam S. habere autoritatem humanam, S. Scripturam rationi subjici, mysteria fidei nos ignorare, rationem esse S. Scripturæ interpretem; quæ inde, quod ratio principium, & quidem primum atque præcipuum, vocatur, omnia profluent.

§. XLVIII.

Cernimus quidem, probari per argumenta communia, & ex ratione petita, S. Scripturæ autoritatem; & deinceps quoque, quod Deus dicit, hoc verissimum esse, è Theologiâ Naturali, in quâ ipsam esse Deum veritatem, probatur. Verum uti isthæc argumenta animum haud prorsus convincunt, ita quoq; nobis non videtur aliud esse principium Theologiæ, primum nempe & complexum, quam illud: Quicquid S. Scriptura dicit, id Deus dicit, quod quidem nulla vis rationis humanæ indubitate confirmare potest testimonio, nisi *απίδεξις*, aut demonstratio, Spiritus S. accedat. Negat quidem hanc immediatam Hulsius, Witsius distinctionem arbitratur à verbi prædicatione, loc. cit. ad Qu. II. Sed errat uterque. Quanquam enim per verbum operetur Spiritus S. sive lectum, sive auditum, sive alio quocunque modo in memoriam revocatum; tamen animo nostro immediate præsens est efficaciâ suâ, si ve, ut loqui solemus, immediatione subjecti, adeò ut hoc pacto *απίδεξις* sit immediata. Nec tamen ideò à

verbo distracta est, etiamsi effectum illum per verbum  
haud semper, & penes omnes consequatur, aut vero  
absque verbo etiam operari queat. Nec enim vult  
hodiè absque verbo operari; neque sequitur, si effe-  
ctum haud consequatur Spiritus divinus, eum pro-  
pterea abesse, vel ab eâ demonstratione, quæ per verbi  
prædicationem aut lectionem fit, distingui. Conf. Diss.  
Bajer. & Olear. de *Apod. Sp. S.*

## §. XLIX.

Judæos porrò quod attinet, & Mahomedanos, in  
eo isti convenient, quia ex ratione solâ mysteria hanc  
transendentia Christianorum refutare tentant, partim  
vero, utut revelationem non negent, veruntamen felicitatem omnem, & res spirituales ex terrenis declara-  
rant. Ne de Judæis nunc afferamus, quod Frischmu-  
tus in peculiari *Dissertatione* discussit, rationi eo ipso  
ius suum derogare, quod duo contradictoria, à duobus  
Doctoribus asserta contrà se invicem, vera esse  
posse arbitrentur. Nisi forte putent illa, quæ contra-  
dicere sibi invicem, tantummodo apparent.

## §. I.

Referendi huc porrò sunt Doctores Scholastici,  
imprimis sequiores, qui quidem valorem principio-  
rum rationis extendentis nimium, universas questio-  
nes Theologicas frivolis argumentis absolverunt, & vanis  
invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis  
detrabentes, ediderunt in Theologiâ commentaria, vix  
digna lucubratione anicularum, uti de illis Melchior Ca-  
nus, Loc. Theol. Lib. VIII. c. I. p. 378. qui etiam c. f.  
ODTBT

p. 392.

p. 392. nihil fuisse, velle videri, propter pendente ac va-  
cillantes animos, scribit. Conf. Rechenb. de *Malesan.*  
in *Theol. Curiosit. Diff. I. Additam.* In *Theologijâ Pra-*  
*cticâ* hoc pertinent *Probabilistæ*, principia rationis  
probabilia, & valde sæpè infirma, certioribus eviden-  
tioribusque præferentes, de quibus vid. Montaltii *Lite-*  
*rae Provinciales*, item, *Theol. Moral. Jesuitar.* & ipse Je-  
suitar. Provincialis Gonzalesius de *Probabilismo*; qui  
sententiam illorum emollire conatur. Ab alterâ par-  
te Fenelonii, ArchiEpiscopi Cameracensis, asseclæ, quo-  
rum placita, de Amore Puro, rationibus idoneis care-  
re, & contrâ absurdis laborare manifestis, Anonymus  
in Tr. Gall. *Christianus Philosophus* Lugd. MDCCl. e-  
ruditè & perspicuè ostendit.

## §. LI.

Denique omnes, quotquot a dictamine hominis,  
quisquis ille sit, vel Scripturæ S. explicationem, certi-  
tudinemque vel augmentum, vel sanæ quoque rationis  
principia necessaria expectant. Instas: De sensu tamen  
rerum revelatarum audiendi sunt homines, erudienda  
est ratio. Respondemus: Minime. De Revelatione  
ipsâ testari debet Revelatio. Hinc Scriptura S. per Scri-  
pturam S. explicanda, ut Legislator consulendus de Le-  
gibus. I. Joh. V. 6. Ratio intercedere non potest, nisi pro-  
pter vim manifestam sibi illatam. Quam ut nemo in Deo  
præsumere potest, ita determinare, arduum omnino  
est, nec hominis unius alteriusve, nec laboris haud  
multo fortè tempore confecl. Ne quis igitur contrâ  
hæc

haec impingat, dignum, quod ubique adhibeat, monitum Lutheri, Tom. IV. Jen. Germ. fol. 376. Es sind  
 zwey Stück in dieser Sachen (loquitur de verbis Inst.  
 Coen. Dom.) fürgestellet / nemlich / verba & res,  
 das ist / Worte und Ding / oder die Sache davon die  
 Worte reden. Von den Worten fraget man / ob man  
 als nthig / oder / daß es nicht anders seyn könnte / er-  
 weisen möge / daß die Worte anders / denn sie lauten/  
 sollen verstanden werden. Nun ist ja ohne Wieder-  
 rede die Frage von den Worten zuerst zu handeln/  
 daß ist / man muß zuerst schen / quid nominis, (wie die  
 Gelehrten reden) / das ist / wie die Worte zu verstehen  
 sind; darnach / quid rei, das ist / was Besens dies  
 Ding oder Sache sey / davon man handele. Plura  
 quæ hanc in rem poterant affiri exempla, in aliud  
 locum differenda erunt. Ex his reliqua, quæ sunt,  
 & hanc rem attinent, facili negotio  
 dijudicabuntur.



ULB Halle  
003 620 00X

3



5b,

VII

17





15  
18  
6

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**PRINCIPIORVM  
RATIONIS IN THE-  
OLOGIA VALORE**  
QVAM  
D. O. M. A.  
PRÆSIDE  
*MAXIME REVERENDO ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO*  
DOMINO  
**JONA CONRADO SCHRAMMIO**  
SS. TH. D. EJVSEMQUE AC PHILOSOPHIÆ  
PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO  
PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO  
OMNI PIETATIS ATQVE OBSERVANTIAE STUDIO  
OFFICIOSE PROSEQVENDO  
D. XX JANVAR. ANNI MDCCXII.  
DEFENDET  
**BRANDANUS MANSFELD**  
HELMSTADIENSIS  
AVTOR ET RESPONDENS  
*IN JVLEO MAJORI.*

*HELMSTADII,  
EX OFFICINA HAMMIANA TYPOGRAPHICA.*